



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Iosephi Speranzæ, Congregationis Oratorii Fanensis  
Presbyteri, Scripturæ Selectæ**

**Speranza, Giuseppe**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

22. De Confidentialia in oratione. Acceptarum gratiarum memoria motivum  
est confidentiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44265**

(subdit Gregorius) pensandum est, cujus apud se humilitatis fuerit, qui despicientem se rusticum amplius amavit. Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat. Nam sicut superbi honoribus, sic plerumque humiles sua despectione gratulantur. Cumque se, & in alienis oculis viles aspiciunt, idcirco gaudent, quia hoc iudicio confirmari intelligunt, quod de se & ipsi apud semetipsos habuerunt.

## De confidentia in Oratione.

Acceptarum gratiarum memoria  
motivum est confidentie.

## PUNCTUM XXII.

Psal. 16.  
Orandi fiducia  
præbet  
fuisse exan-  
ditum.

D. Greg. 35.  
Mor. 3.

Psal. 56.

Gen. 4.

Alij.

Gen. 15.

**E**go clamavi, quoniam exaudisti me, Deus, inclina aurem tuam, & exaudi verba mea. Quid jam, ô Rex, exauditus clamas? Nunc, nunc fiducialiter clamo, inquit David, quoniam alias exaudivit me, & spero alias me exaudiet, Super quæ verba Greg. Non ait, quia clamavi, exaudisti me, sed clamavi, quoniam exaudisti me, qui enim loquens exauditus fuerat, votis proficientibus exaudiri clamans.

Sic August. ad illud: *Clamabo ad Deum altissimum.* Quomodo inquit, te audivit clamantem, si altissimus est? Nata est nimirum experimento fiducia. *Ad Deum,* inquit, *qui benefecit mihi.* Huc facit illud primæ parentis Evæ, postquam peperit Cain, dicentis: *Possedi hominem per Deum,* quod alij transferunt: *Possedi virum, & Dominum,* hoc est, ex accepta jam gratia gratias expecto. *Possedi virum, & Dominum.*

Quondam Deus vocavit Abraham: *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit sementium in terra non sua, & subjucient eos servituti.* Et quoniam durabit hæc servitus? *Et affligent quadringentis annis, & post hæc egredientur cum magna substantia.* Quis id facile credat? *Ego Dominus,* jam præmiserat, *qui eduxit te de Vr Chaldaorum,* hoc est, de fornace ignis, in quam, ceu veri Numinis adorator missus fuisti. Sed cur hanc liberationem memorat? Ut spem hujuscæ alterius liberationis concipiant.

Hinc toties hoc idem ad memoriam revocabat Abraham ad concipiendam spem: *Deus, qui eduxit me de Vr Chaldaorum.* Sic in periculis, in difficillimis: *Dominus, qui eduxit me de Vr Chaldaorum;* tum memoria accepti beneficii, tum fiducia recipiendi.

Sic, ut observat Dionys. invitans populum ad fiducialiter postulandum, aiebat Dionys. David: *Dilata os tuum, & implebo illud. Richel. Præmittit motivum fiducia: Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Egypti: dilata, &c.*

Hanc eandem spem novarum gratiarum ex acceptis jam gratiis Moysen docuit, cum iussit, ut cum virgâ montem conscenderet, unde à populo adversus Amalecitas pugnaturus virga cerneretur: *Ego ascendam in montem, habens virgam Dei in manu meâ.* Mirum! sustentatione, ac adiutorio indigebat, nec manus elevatas tenere jam poterat, &c. eas virga onerat? Quid eam elevas, si non potes? O mysterium! Tota fiducia ex illâ aliâs potenti virgâ nasci debebat, idem eam elevat, & eundem populi oculos ostendit, ut quondam per eam patratorem magnalium recordaretur, & confideret, ac speraret auxiliû. q. diceret Bellate, ô milites, sed oculos ad virgam hanc potius, quam ad arma levate: levare oculos ad montem, unde venit auxilium vobis. Ubi notandum signanter appellasse virgam, *virgam Dei,* ut omnipotentia meminissent, O ex acceptis jam aliis victoriis, victoriam sperarent.

Erant in mari discipuli, tempestas exoritur, petteriti incipiunt diffidere, quibus Dominus: *Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panem in quinq. millia hominum, & quot cochinos sumpsistis? neque septem panem in quatuor millia hominû, quot sportas sumpsistis?* q. d. Confidite & nunc.

Ut hoc motivo utebatur David! *Qui inclinavit aurem suam mihi, & in diebus meis invocabo;* hoc est: quia me exaudire solet, diebus meis, quam diu vivam, cum invocabo. D. Basil. illud, & accipit pro, *ideo,* ac si dixisset: *Quia autem mihi sæpius præbuit, idem per totâ vitam Deum invocabo.*

Pulchrè D. Ennod. Percipio spe futura, quæ deprecor, nesciunt in foribus hærete, quæ celo authore tribuntur, semper incre-

Beneficiorum  
Dei priorum  
recordatio  
spem facit  
posteriorum.

Matth. 6.

Psal. 114.  
Geneb. ibid.

D. Basil. ibid.

D. Ennod. l. 5.  
epist. 16.



in incrementis ad culmen ascenditur, ubi A  
divinus favor præstat auxilium.

Quid orat ergo, fiducialiter oret: non  
diffidat: sed certam, & in manu, ut dici  
solet, reputet gratiam. Hac fiducia orabat  
David: *Vocem meam ad Dominum clamavi, &  
exaudivit me de monte sancto suo.* Sed quo-  
modo id potest esse cum veritate conjun-  
ctum, cum subdat: *Exurge, Domine, salvum  
me fac, Deus meus.* Si jam te Dominus ex-  
audivit, quid nunc exoras? Jansenius sic B  
respondet: Ex certâ exauditionis fiduciâ  
pronunciat se jam accepisse, quod prece-  
batur, quasi jam illud accepisset, si firmi-  
ter se confideret accepturum.

Hanc eadem declaravit fiduciam vel  
tunc, cum ait: *Servate mihi puerum Absa-  
lom,* vel Hebr. *Mansuescite, aut leniter ire su-  
per puerum Absalom.* Quid? Loqueris ut  
certus de victoriâ? Sic, confidentia cum  
certum reddebat, non erat enim infatua-  
rum consiliû Achitophel, quoniam orave-  
rat, & ided sperabat, quod & in reliquis  
Deus exaudiret eum, &c. Beneficium  
enim pignus est beneficij & acceptam  
gratis spes est recipiendæ.

Est præterea incitativum confidentie,  
infallibilitas divinarum promissionum,  
ac Dei verborum veritas.

Multoties repetunt Evangelistæ ver-  
ba illa: *Ut adimpletur Scriptura: ut adim-  
pleretur, quod dictum est per Prophetam, &c.*  
Sic jam jam in Cæcæ Dominus spiritum  
emissurus, antequam tamen emitteret,  
multa cum diligentia hoc norant Evan-  
gelistæ, inquit enim: *Sciens Iesus, quod  
omnia consummata sunt, ut consummaretur  
Scriptura, dixit, Sitio.* Post talem ac tantam  
sanguinis effusionem, cum sitire non mi-  
ror, quod adhuc majorem sitiat passionē:

pari modò non miror, nec etiam miror E  
Christum sitientem nostram salutem di-  
cere: *Sitio:* vel quod sitiri sitiat, ut loquitur  
Nazianzenus, sed quod solum dixerit: *Ut  
consummaretur Scriptura,* miror, & obstu-  
pesco. Scio, quod ex D. Cyrillo scholasti-  
cis terminis ajunt particulam, *ut,* non di-  
cere causam necessitatis, sed inevitabili-  
tatis. Sed ad rem nostram August. Mori-  
turus Dominus Scripturas omnes, quæ  
de ipso loquebantur, percurrit, & cõsum-

matas jam vidit, solum parum acetum in  
Psalm. supererat: *Et in siti mea potaverunt  
me aceto:* & animam agens animam reti-  
ner, donec hoc sibi deferatur acetum, nec  
antèa mori vult, quàm hoc idem degu-  
stet. *Ut Scriptura adimpletur.*

*Iota unum, aut unus apex non præteribit à  
lege, donec omnia fiant. Cælum, & terra trans-  
ibunt, verba autem mea non transibunt.* Quid  
hinc non educimus id, quod educit D.  
Thomas: Si jam, quæ de Christo impossi-  
bilia, & incredibilia mundo videbantur,  
sic ad amissum completa sunt, usque ad  
parum acetum, quid erit de eo, quod tam  
expressè promissit, & quasi juramento ob-  
firmavit: *Quicquid orantes petitis, credite,  
accipietis, & fiet vobis:* vel de eo: *In quacun-  
que hora ingemuerit peccator, &c.* si veniam  
pœnitentes rogaverimus, si salutem? &c.

In verbum tuum supersperavi, non solum C  
speravi, sed etiam supersperavi: ad eod vera  
existimo verbatua.

*Ille fidelis permanet, negare seipsum non  
potest. Quanto minus sua?*

Hoc credere redundat in Dei gloriam. Isa. 7.  
Noverat ille, cui cum dictum esset: *Peto  
tibi signum à Domino Deo tuo. Non petam,  
inquit, & non tentabo Dominum.* Alij: *Non  
petam, & non exaltabo Dominum,* Et verè  
Dominum exaltat, & multum exaltat, qui  
fidelem in promissis eum esse credit.

Mira Abraham fides erga divinas pro-  
missiones. Promiserat ei Deus: *In Isaac vo-  
cabitur tibi semen, &c.* Non multò post: Gen. 21.  
*Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis,  
Isaac, &c.* Pergit ad montem: *Expectate hic,  
ait conversus ad famulos, donec ego, & puer  
revertamur ad vos. Quid, ô Abraham, sin-  
gis? Das verba famulis? Quomodo cum  
puero reverteris, si puerum sacrificatu-  
rus vadis? Non fingo, inquit Abraham,  
sed persto fundatus in Dei promissione,  
omniò, ac infallibiliter cum puero re-  
vertar. In spe contra spem arbitrans, quia &  
à mortuis suscitare potens est Deus.*

O miseria! (deplorat Salvianus) ô per-  
veritas! homini ab homine creditur, &  
non creditur Deo: Hominis promissioni-  
bus spes commodatur, Deo negatur. O-  
minia in rebus humanis spes futurorum  
agunt, ided terribis frumenta credim⁹, &c.

Psal. 3.

Jansen. ibid.

2. Reg. 25.

& 18.

Hebr.

Abul. ibid.

Beneficium Dei

unum est pi-

gnus alterius.

Fiduciam item

generat Dei

fiduciam.

Matth. 27.

Nazianz.

D. Cyril.

D. August.

Matth. 5.

D. Thom.

Psal. 118.

2. Tim. 2.

Isa. 7.

Alij.

Gen. 21.

Gen. 22.

Hebr. 11.

Salvian. lib. 2.

ad Eccl.

Spes hominum

in homines

sape major,

quàm in Deo.



rotum inter homines spe agitur: solus Deus est, de quo desperatur: cumque elementa ipsa, & naturam totius mundi Dominus noster fidelom fecerit, illi tantum prope ab omnibus non creditur, qui solus fecit, ut rebus omnibus crederetur.

Chrysol. ser.  
25.

Eadem est querimonia Chrysol. HOMO homini exigua chartula obligatione constringitur: Deus tot ac tantis voluminibus cavet, & tamen debitor non tenebitur?

Bern. hom.  
4. sup. Missus  
est.

Notat Bernardus multa, quae dare disposuit Deus, antea polliceri, ut ex promissione exciteretur fiducialis devotio, ut quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur: sicque, ait, dum nos praevenerit tribuendo, quod retribuatur gratis, agit, ne gratis tribuat. Cajet. in illud Genes. In illo ille pepigit Dominus foedus cum Abram. Ecce, inquit, quod Deus cura sua descenderit, ut ad similitudinem pauciscentis hominis se gesserit cum homine, & tanquam ex contractu obligatum se exhibuerit, quod idem facit, ut confidentiores nos erga se reddat. Chrysol. Ipsum tene debitorem, ipsum exige: hac enim exactio delectatur: nam idem toties in Scripturis se vadem exhibet, ut praebear occasionem exigendi.

Gen. 15.  
Cajet. ibi.

Fiduciam nostram multis modis excitat Deus.

Psal. 9.  
Symmac.

Fiduciam impetrandi placet Deo.

Agell. & Lorin. ibi.

Joan. 5.  
5. Chrysol.  
hom. 35. in  
Joan.

¶ Placet summopere Deo haec confidentia. Preparacionem cordis eorum audivit auris tua. Symmac. Propositum cordis eorum audivit auris tua. Per hoc verbum, propositum, Agellus, & Lorinus stabilitatem, ac firmitatem cordis nihil haesitantis, sed in spe ac fide permanentis, intelligunt, cum quis nimirum certo quodam modo impetraturus adit Deum postulans, & in fide nihil haesitans, tunc habet propositum, Deum exauditorium.

Quodnam propositum fuit illud Paralytici in probatica piscina jacentis? Fuit propositum valde firmum, stabile, quod diurnitate tanti temporis nunquam haesitavit, Cujus fiduciam simulque patientiam demiratus Chrysol. Pudeat nos, inquit, & incredibilem nostram foecundiam deploremus. Triginta, & octo annos ille expectaverunt continuos, nec ei<sup>9</sup> impletum est desiderium, nec id culpa aut negligentia ejus factum est, nec propter

A ea desperavit. Nos autem, si vel decem dies orationibus invigilantes non exaudimur, jam reprecimus, &c.

Psal. 127.  
Theod.

Jugem perseverantiam, ac fiducia notat ad illa verba Theod. Sicut oculi ancilla in manibus dominae suae: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Non praescripto tempore, inquit, spem definimus, sed expectamus, donec misericordia digni effecti simus.

B Chrysol. ad illa verba: Quis ex vobis patrem petit panem, &c. ita, ut solet, eleganter: Negat patrem, qui de patris suspectus est largitate.

Luc. 11.  
Chrysol. serm.  
55.  
Psal. 130.

Quam pulchra metaphora Propheta alibi perfectam describit confidentiam: Sicut ablactatus est super matrem suam, ita retributio in anima mea, speret Israel in Domino. Considerasti sic unquam naturalem lactentium in matrem confidentiam, ut suorum corporum nullam prorsus curam habeat, sed charitati matris sunt penitus, & omnino commendati? Id, quod ad summum facere norunt, hoc est, materna viscera aliquo excitare vagitu. Talis etiam est recens ablactatorum fiducia: nam licet amplius matrum ubera non sugant, non eas propterea despiciunt, aut ab eis reliqua sperare desinunt, quin potius ex beneficio hactenus accepto totam vitam pendunt, a solito gremio non recedunt. Hunc fiduciam gradum habebat David, qui ut in naturalibus maximus, ita in spiritualibus summus est. Sicut ablactatus est super matrem suam, vel juxta alios: Qualis ablactatus super matrem suam, talis in me anima mea. Hoc est, sicut infans omnino se credit amanti illi curae matris, cum sibi omnino consulere nequeat, ac totus proinde in matre conquiscescit, & ad matrem obrem quamlibet fiducialiter confugit: Sic ego ad divina illa misericordiae viscera confugio in quacunque necessitate, in quocunque periculo, in omni tentatione, &c. & ea semper aperta reperio, semper divinae illius providentiae brachiis complector. Campensis.

Sicut infans ab uberibus matris recens depulsus, qui solus figere gressus non potest, sed matris sustentatur manu: ita me semper judicari sine tuo auxilio nihil posse. & idem aliis hanc commendat fiduciam

Spei formam  
a lactentibus  
discamus.

Alij.

Camp. in  
Paph.



ciam ex proprio experimento: *Speret Israël in Domino ex hoc nunc, & usque in jaculum.* Campensis: *Expectet. si sapit, qui vis ex Israël Dominum, & pendeat ab eo ab hac hora, usque ad finem vite.* A custodia matutina, usque ad noctem, non usque ad nonam, vel ad vesperum, sed usque ad obscurissimam noctem majorum tribulationum, usque ad noctē ipsius mortis usque ad finem vite.

*Etiamsi occiderit me, in ipsum sperabo.*

Iob. 13.

In omnibus, vel arduis, ac difficillimis sperandum in Deo, in immitentibus periculis vertere sese homo debet ad Dominum, ac dicere; Domine, hæc tua causa est, tuum est auxiliari. Sic David, ab exercitu Regis Saül circumdatus, conversus ad Dominum: *Fortitudinem meam, inquit, ad te custodiam.* D. Hieron. ex Hebr. *Fortitudinem ejus ad te servabo* q. d. Me ipsum contra Regem defendere nequeo, tuum est, Domine, auxiliari.

Psal. 58.  
D. Hier. ex Hebr.

Erātque tam certus divinæ protectionis, ut ex majori periculo major eidem augetur fiducia. Hinc alibi: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo.* Difficile est hic, quid sibi velit illud, *In hoc ego sperabo.* Legionensis, & Geneb. tum ex Græc. tum ex Hebr. illud, *hoc, referunt ad praelium, & ajunt ad ostensionem miræ fiduciæ, vel in ipsis hostium suorum armis Davidem spem suæ incolunitatis collocasse: q. d. Tantum abest, ut hi exercitus mihi adimant, quin potius augeant fiduciam.*

Psal. 26.  
Davidis erga Deum fiducia quanta.  
Legion. & Geneb. ibid.

Aded̄ Deus hæc delectatur fiducia, ut ad mensuram ejus gratias conferat, ac munera elargiatur. D. Cyprian. *Quantum vas fidei capacius afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.*

D. Cyp. ep. ad Deum.

Deut. 11.  
D. Bern. ser. 15. in Psalm. Qui hab.

*Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit.* Pes vester, utique spes vestra est, inquit Bernardus, & quantuncunque illa processerit, obtinebit, si tamen in Deū tota figatur, ut firma sit. & non titubet.

Ex Evangeliiis observandum, gratis indigenter juxta fidei suæ modum, & capacitatem gratias consequi. Archisynagogus credidit per contactū, & manus impositionem. Christum posse sanare: Hoc

ergo modo sanavit. Hæmorrhoïssa illa, *Si tetigero simbriam, &c.* tetigit, & sanata est. Centurio absolutè credidit: absolutè obrinuit. Sic Chananza illa toties repercussa, fiducia tamen non circumscripta aut tempore, aut modo, sed absoluta, & illimitata: *Domine, filia mea male à Demonio vexatur; libera eam, ut vis, quia absolutè potes, &c.* O mulier, audit, magna est fides tua: fiat tibi, sicut vis. q. d. Tu absolutè confidis, absolutè fiat. In manu tuā sit quodammodò fiat illud, quo jam feci omnia. Hæc enim vox (inquit ibi. Chryl.) affinis est illi, qua dictum est, *Fiat calum, & factum est calum;* & non solum fiat; quod vis, sed, sicut vis. Taliter, scilicet, delectatur Deus magna, ac illimitata fiducia.

Luc. 8.

Mat. 5.

Matth. 13.

Fiducia absoluta quam places Deo! Chryl. ibid.

Sed adhuc Chananzæ fiduciam perpendamus. Plena hæc lacrymis, & dolore ante Christum: *Miserere mei, inquit, fili David, miserere mei, &c.* & clamabat. Christus verd̄ dum hæc loquebatur, ait August. & habetur ex Evangelio, *tacebat.* Mirum! illa præ dolore clamat, deflet casum, enarrat tragœdiam, exprimit passionem. *Ait ille non respondit ei verbum.* Vel Syriacè: *Ne verbum quidem respondit.* Ex hæc clamabat aded̄, ut discipuli clamoribus fatigati dixerint: *Dimitte eam, Domine, quia clamat post nos.* Alij: *Quia clamat ante nos.* Utrunque certè faciebat, nam instar canis, modò antè, modò retrò, nunc ad pedes lambens, nunc à dextris, nunc verd̄ à sinistris currens, suam misera deplorabat miseriam. Ita Chrysostrmus relatus à Damasceno. At Jesus: *Non sum missus, nisi ad oves, &c.* Tum illa: *Domine, adjuva me.* Christus autem: *Non est bonum sumere panem filiorum, &c.* Ubi notandum, quantis eam modis Dominus vult probare. Prius ab accedente discedit: secundò sequentem fugit: tertid̄ clamantem dissimulat: quartò interessores redarguit: ultimid̄ adorantem quasi convitiis afficit. O clementia Medici, ubi es? Sic durè contrectas vulnera? Sic fortiter premis ulcera? Vide, ne eam in desperationem inducas. Sed ista adhuc sperans ait: *Etiamsi, Domine, &c.* O violentia mulieris! ô fidei profectus! ô omnipotentia humilitatis!

Syrinc.

Alij.

Chananza ingens fiducia.

Chryl. hom. 7. de diversis. Damasc. l. 2. Parall. c. 15.

M 3 qua-



quantum eunque conviciata repelleretur, fortiter perseverans, arguit ex concessis, & omnino voluit exaudiri: violenter sibi salutem non modò impetravit, sed extorsit. *O mulier, magna est fides tua!* & propter hunc sermonem vade, exiit Damonium à filia tua. Sic, sic sperandum, Fratres, sic perseverandum; sic clamandù, ac de se coram Deo humiliter sentiendum: *Fiat tibi sicut vis*; quasi diceret, subdit jam citatus Chrys. Fides quidem tua majora, quam peteres, posset impetrare.

Mar. 7.

Greg. Naz.  
orat. 25.

Hac certè prædita Gorgonia illa, tot heroicarum virtutum mulier, apud Nazianzenum fratrem orat. 25, quæ est in laudem fororis. *Pia, inquit, & præclarà quadam impudentià apud Deum essentur. Caput ab evo admovens, nec se ante ab eo minitans discessuram, quàm sanitatem consecuta sit. Expende confidentiam: Nec se ante ab eo minitans discessuram, quàm sanitatem consecuta sit.* Pia quædam impudentia; imò confidentia minitabatur, &c. *O rem admirandam!* (subdit) protinus liberam se morbo sentit, hanc spei mercedem consecuta, ut quod speraverat, obseneret, anima que firmitate corpori firmitatem comparaverat.

cerunt, secus certò dixissent, petrà illam daturam aquam. *Et distinxit in labiis suis,* Psal. 105. inquit David, loquens de Moyse ad aquà contradictionis, hoc est, pro dubietate quasi dialecticà distinctione est usus. Sic Græc. *Et dubius fuit.* Alij: *Et perplexus fuit;* nam humano iudicio rem metiendo, talem nimirum siticem, illiusque qualitatis, durissimæ scilicet ac aridissimæ non posse aquam, & præsertim tanto populo estundere, dubitaverunt, vel potius indignum eo beneficio populum considerantes, dixerunt: *Nunquid,* &c. cum potius veller Deus ob omnes difficultates tantò majorem fiduciã. Unde noluit Deus ob hanc diffidentiam, ut terram promissam ingrederentur, nec ipsi, nec tam citò aliquis ex populo. Et hoc sibi vult illud, *& distulit,* supra promissum, nimirum terræ illius: quò erudiamur allegoricè, diffidentes non intraturos promissam terram viventium, quæ differtur eis, donec perdiscant confidentiam, peregrinaturi intereã in deserto Iænitentiã.

Græc.  
Alij.

Diffidentia est, quæ ligat Dei manus, ne gratias, ac dona conferat: *Non poterat,* ait Evangelista, *miracula facere propter incredulitatem eorum.* Suscitaturus Lazarum incidit Dominus in quandam Marthæ diffidentiam: *Domine, si fuisses hic,* &c. Jam tunc Dominus ad Lazarum suscitandum: & ecce hoc sese illi obstaculù obijcit. Incipit eam Dominus ad fiduciam disponere, & dicit: *Resurget frater tuus.* Incipit ad hæc illa confidere, non tamen perfecte, unde adhuc hæsitat: *Scio, quia resurget, (sed) in resurrectione, in novissimo die.* Et ob id non fit miraculum, quia obstat diffidentia. Pergit Dominus: *Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Credis hoc? Vtique, Domine.*

Matth. 13.  
Diffidentia ligat Deo manus.

Ioan. 11.

### Quantum Deo displiceat diffidentia.

#### PUNCTUM XXIII.

Psal. 77.

Diffidentia plurimum displicet Deo.  
Hebr.

Num. 20.

*Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Ided audivit Dominus, & distulit.* Enigmata accessus est in Jacob, & ita ascendit in Israël. Heb. Valde iratus est. Hoc sibi vult ignis hoc loco vehemens, nimirum & inflammata Dei indignatio.

Mirum! quia petram percussit Moyses, taliter indignatus est Deus, ut ei, fratrique suo Aaron dixerit: *Inhonorastis me.* Quid, quæso, egerunt? Diffusi sunt, ac diffidenter, veluti joco, ne proprium amitterent honorem, illà percussione petræ quasi periculum fecerunt, an aqua flueret, unde communis cum ipsis incredulitatis notantes filios Israël dixerunt: *Audite, increduli, nunquid,* &c. Sicque rem dubiam fe-

Incipit ad hæc illa confidere, non tamen perfecte, unde adhuc hæsitat: *Scio, quia resurget, (sed) in resurrectione, in novissimo die.* Et ob id non fit miraculum, quia obstat diffidentia. Pergit Dominus: *Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Credis hoc? Vtique, Domine.* Tunc: *Lazare, veni foras.* Quantum laboris insumptum, ut ad confidentiam perduceretur, & miraculum patraretur!

Nunquam satis admiratus sum, Dominum excitaturum puellam, tibicines, qui, ut mos erat, mæsto clangore dolorem, & lacrymas excitabant, eiecisse, & eò magis, quòd Chrysof. eos indignos asserit, qui miraculum viderent. In quoniam, quæso, sita erat hæc eorum indignitas.

Matth. 9.  
Christus tibicines eiecit, ut puellam excitaret. Cur? Chryf. hom. 32. in Matr.